



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Capvt IV. De Cultu Dei: hoc est de primo Decalogi præcepto, Unum, Cole
Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

de amando Deum, ut si ipsum non ames eo tempore, & eo modo appetitivo, quo amandus est. Secundum, per commissionem contra præceptum negativum de non odio habendo Deum, ut, si cui apprehendendo Deum ut sibi infestum, displiceat Deus, sequatur odio hominationis ab ipso auertat, illique optet simplicem affectum (nam non potest effici, hoc est, ita ut effectum habeat ea prava voluntas) aliquod malum, quod est scelus omnium gravissimum, demonibus, damnatisque famulari.

3. Petes peccatne contra Dei Charitatem, qui ultimum finem in hac vita constituit, volendo hic perpetuo manere?

Huic petitioni sic respondit Castro Palau *tom. 1. tr. 7. d. 1. de charitate, p. 2. n. 6. Sanchez lib. 1. in Dec. c. 35. n. 11. sine, cum Bonacina, circa primum Dec. præcepti disp. 3. q. 4. p. 1. sine, aliisque, affirmant peccare mortaliter, quia præfert Deo, ejusque visioni, & fructui delicias hujus sæculi; at desiderare longam vitam affirmat vocare culpa. Sed hoc dictum non universaliter approbo; si enim ex eo, quod velis in hac vita perpetuo durare, inferatur, te delicias humanas divina fructione præferre, etiam cum longam vitam desideras, præfers pro illo tempore delicias humanas divine fructioni. Ergo hoc etiam sufficit, ut pecces, quia summa perversitas est pro uno, & minime instanti divinam fructualem humanam voluptati postponere. Quapropter cum vitam sine termino desideras, solum videtur desiderare hac vita non privari. Hoc autem per se malum non est, sed potius bonum, ergo, &c. Adde te nescire an post hanc vitam salvandus sis, an condemnandus; ergo cum desideras in hac vita perpetuo manere, potest illud desiderare ut periculum condemnationis fugias sed hoc periculum fugere non est malum; ergo non est peccatum mortale tale desiderium absolutum: ergo solum esse potest cum de facto præponis tuam vitam hujus sæculi bonis, quæ tibi Deo in æternum præparavit, quod raro, vel nunquam, nisi sceleratissimo accidit. Merito Castro Palau.*

§. II. Quandoam obliget Præceptum affirmativum Charitatis Dei.

1. Laborant Doctores in assignando tempore, quo debet fidelis ex obligatione actum positivum amoris elicere circa Deum, variæque tempora, ut varia sunt ingenia hominum, assignant. Primum tempus, quod aliqui assignant, est initium usus rationis. Secundum, finis vitæ. Tertium, tota vita indeterminate sumpta, ut saltem semel in ea ametur Deus. Quartum, omnes dies festivi, in quibus debemus Deo specialiter vacare. Quintum, tempus, quo adultus suscipit Baptismum. Sextum, tempus, quo quis suscipit Eucharistiam. Septimum, quando forte sumitur Martyrium. Octavum, quando magnum à Deo accipis beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deum blasphemantem. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, præsertim odij Dei cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas.

2. Mihi placet doctrina Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 4. q. 1. circa 2.* qui docet hoc præceptum Charitatis impositum, fuisse ob justificationem impij: solum igitur tunc obligare, quando impius, qui Sacramentum Pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, quæ se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei super omnia dilecti involvit. Consequenter igitur, & indirecte ratione suæ justificationis ad actum charitatis Fideles obligantur. Vide *supra, cap. 1. §. 1. num. 10.* ubi idem loquendi modus mihi placuit de præcepto actus fidei, & spei; nam per ibidem dicta, & confirmabitur hæc Azorij doctrina, & impugnari poterunt tempora modò assignata numero præcedente.

3. Confirmatur, quia licet communis sententia doceat dari præceptum speciale de amando Deo in illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum*, & alibi, tamen non

ignobiles Doctores docent hoc præceptum non esse speciale, & speciali tempore implendum, sed generale imbutum in omnibus præceptis, sicut secundum præceptum de dilectione proximi non est speciale, sed in Decalogi præceptis contentum, nam propterea dicitur: *In illis duobus præceptis, id est, dilectione Dei & proximi, universa lex pendet, & Propheta, & Qui habet præcepta mea, & servat eas, ille est qui diligit, me, & Plenitudo legis est dilectio.* Si enim qui servat præcepta diligit, quique diligit servat jam unum ex his continetur in alio; & consequenter præceptum charitatis indiget solum, & ratione alterius obligabit.

4. Probabilis ergo, & tutissima sententia est illorum, qui negant fideles initio usus rationis, sic Castro Pal. *tom. 1. tr. 6. de charit. d. 1. p. 4. n. 2.* cum Azor. Val. Sanchez. Coningh. ab eodem cit. & sine vitæ: sic idem ibid. d. 9. cum Azor. & Sanchez ab eodem cit. obligari ad se convertendos ad Deum, illum amando; ponere enim ejusmodi obligationem, quæ certè fundamento solido non innititur, nihil aliud est, nisi scupulos ingerere non quidem indoctis, quia hi ad eam obligationem minus advestunt; sed doctoribus, &c. Lege Castr. Palauum, Azor. Sanchez. modò citatos.

CAPUT IV.

De Cultu dei, hoc est, de primo Decalogi Præcepto. *Vnum cole. Deum.*

Præmissis iis, quæ fuerunt præmittenda, jam tandem ad primi Præcepti explicationem, Deo favente, pervenimus.

Potrà virtus Religionis, quæ Deo debitum cultum exhibemus, significando ejus excellentiam, nostramque subjectionem, alios actus habet exteriores, interiores alios per hōs sola mente, per illos etiam externa locutione, vel operatione Deum veneramus. Veneramus autem specialiter per orationem, adorationem, votum, juramentum; sed quia de voto, & juramento aptior videtur locus in secundo præcepto, hic solum breviter prius agemus de adoratione, & oratione, virtutis Religionis actibus, deinde de peccatis eidem Religioni contrariis.

§. I. De Adoratione.

Quid sit, quæ lex adoratio, & in quos cadat.

1. Adoratio latè sumpta est actus creaturæ rationalis, quo significat submissionem, & reverentiam ob alicujus excellentiam, juxta illud *Genes. 10.* ubi Loth. dicitur adorasse Angelos, & *Reg. 11.* ubi refertur, Bersabee adorasse Salomonem. Stricta sumpta est actus quo quis proficitur cognoscere, seu colere excellentiam Dei. Sic *Deuter. 6.* Dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis*; sic *Matth. 4.* *Magi proidentes adoraverunt puerum*, sic *Joan. 9.* *Cæcus illuminatus procedens adoravit Christum.*

2. Triplex autem à Theologis solet adoratio distinguui: Latria, Hyperdulia, Dulia; ita *S. Thom. 3. part. 2. q. 2. & Commentatores*, alique passim. Prima est, quæ fertur in Deum increatum; Secunda in Beatam Virginem, quæ habet peculiarem Sanctitatis excellentiam supra ceteros Sanctos; Tertia in Sanctos, & Angelos qui sunt Beatissima Virgine inferiores. Strictè enim sumpta adoratio Sanctos adoramus, quoties eorum sanctitatem licet creaturam, in qua tamen resplendet modò quodam peculiari, & supernaturali Dei excellentia, veneramus.

3. Rursus, dupliciter potest quid adorari Latria: Primo per se, & ratione sui, & sic ipse solus Deus est per

Latriam

Latriam adorandus. Secundò ratione ipsius Dei; & per
conjunctionem ad ipsum, cum quo facit unum; & hoc
modo adoratur per latriam Humanitas Christi, quæ
personaliter unita cum Deo. Unde videtur Christum Do-
minum adorandum esse latria per se, & ratione sui, quia
Christus absolutus est, & dicitur persona divina, ipsa
Humanitas Christi est adoranda per latriam ratione con-
junctionis cum personalitate divina. Eucharistia autem
per latriam ratione sui est adoranda; adoratur enim ibi
personaliter idem Christus Dominus: lege Snaar. qm. 1.
p. 2. d. 51. s. 1. s. 1.

4. Reliquiæ ejusdem Christi Domini, ut spinæ, Suda-
rium, Crux, seu ejus fragmentum, in quibus idem passus
est, & mortuus; adorantur etiam latria per conjunctio-
nem, sicut ipsa humanitas, quia adorantur, ut quid unum
cum Christo: nam ex se nullam habent excellen-
tiam, & latria adoratione dignam. Reliquiæ Beatissimæ
Virginis, & Sanctorum eodem proportionali modo ado-
rantur per Hyperdoliā, vel Doliā ratione conjun-
ctionis cum Virgine, vel Sanctis.

5. Sed quid de Imaginibus dicendum? Respondeo has
adorari eodem modo, quo adorantur prototypa, seu exem-
plaria, id est, quo adorantur ipsæ res quæ per imaginem
representantur: sed propter significationem: referunt
enim, seu significant prototypa: S. Thom. 1. part. q. 25.
art. 4. & Commentar. ibid. Hinc imagines Dei,
Christi, Eucharistiæ, adorandæ veniunt per latriam, ima-
gines Beatæ Virginis per Hyperdoliā, Sanctorum
per Doliā. Omnes, non quidem per se sed per relatio-
nem ad ea, quæ representantur; per se enim spectatæ, &
veluti materialiter, & sine ordine ad representatas,
licet mereantur quandam venerationem, quia sunt res
materiales spectantes ad pietatem, & Religionem, ut
sunt materialia ligna, verbi gratia, & lapides templo-
rum, non tamen merentur propriam adorationem, de qua
nos agimus: ita Conc. Trident. sess. 25. in Decr. de Vener.
Sanctor.

6. Imagines Crucis, Spinarum, Sudarii, & similium in-
strumentorum, si efformentur ad representandum Chri-
sti Passionem, seu Christum passum, adorabuntur ado-
ratione latriæ per significationem, quia tunc sunt ima-
gines Christi pro nobis passi: ut si sumamus præcise,
et significant illa instrumenta passionis inanimata, tali
adoratione non sunt digna. Notat tamen S. Thom. 3. q.
24. art. 4. differentiam inter Crucem & cætera dicta in-
strumenta, quod Crux semper assumitur non solum ad
representandum Crucem, in qua pependit Christus, sed
etiam ad representandum ipsum pendentem, Christum:
alia autem instrumenta rari assumuntur ad representan-
dum Christum passum; quare cuiusque Crucis adhi-
betur latria per significationem, non vero cæteris instru-
mentis.

7. Petes. Beatissima Virgo, quandoquidem est con-
juncta cum Christo Domino per relationem Maternitatis,
potestne adorari per latriam ratione conjunctionis?
Respondeo posse, sed non solere, nec fidelibus id suaden-
dum, propter periculum ipsam propter se ipsam ado-
randi, quod non subest in cæteris viliioribus rebus, licet
Christo conjunctis: fuse Theologi, S. Thom. dist. 23.
q. 2. art. 4. Clarius Castro Pal. tom. 2. tract. 4. d. 1. p. 7. n. 6. alique
adducunt.

An sit præceptum de adorando dicam §. 3. n. 3.

Qui sunt in Sanctis, quos adorare per Doliā liceat.

8. Recole primò cultum seu adorationem aliam esse
publicam, quæ scilicet ab Ecclesiâ instituta est, & illius
nomine fit: aliam privatam, quæ fit non in nomine, sed devotione
privatorum fidelium. Recole secundò Sanctos alios esse
canonizatione, beatificatione, vel generali approbatio-
ne Ecclesiæ tales, alios esse tales, ob certitudinem, quam
tu de illorum sanctitate privatim habes, ob certitudi-
nem, inquam, mortalem, sine qua certitudine semper esset
venerarium adorare.

Part. I.

9. His in memoriam reductis. Dico primò, cum Sua-
rez tom. 1. in 3. p. 52. s. 1. vers. Responder. Bellar. de San-
ctis, c. 20. Sanchez in Dec. lib. 2. cap. 43. n. 3. Ad Adoran-
dum, seu colendum privato cultu aliquem sufficit, si pri-
dentè nobis persuademus illum esse Sanctum; seu Dei
amicum in gloria. Ratio est, quia sic non erit mortale pe-
riculum errandi, secus autem erit.

10. Dico secundò cum iisdem, ad colendum cultu
publico, debet sanctitas ejus, qui colitur, esse ab Ecclesiâ
publicè proposita. Ratio est, tum quia textus in c. fin. de
Reliquiis & venerat. Sanctorum, aliæque Pontificum pro-
hibitiones, tum quia ordo rectus exigit, ut publicè solum
qui publicè propositus est, colatur.

11. Ex his inferitur de functi viri, quem Sanctum pu-
tas licere tibi (præcise semper scandalo) pedes; & reli-
quias osculari, eisdem cum decore servare, ei orationem
fundere, ejusdem imaginem depingere, & domi habere,
digni mortis ejus privatim ut festum colere, in ejus-
dem vigilia jejunare, in privatis colloquiis, aut precibus
Sanctum, & Beatum nominare, & invocare, *Pater & Ave*,
in illius honorem privatim recitare, votum privatim
ei nuncupare, quia hæc omnia publicum cultum nequa-
quam sapiunt. Contrà, non licet ejus nomen in Litanis,
etiam privatim eas recitando, apponere, ejus imaginem
in Altari etiam privato, vel in Ecclesiâ collocare (nisi
constet collocari ad solum ornatum (in orationibus,
seu collectis Missæ, vel Officii nominatè, vota publica
(ut solent Civitates facere in publicis necessitatibus)
ex promittere, diem festum publicè in ejus honorem;
etiam approbante Episcopo, instituire, & similia, quia
hæc vel publicum cultum supponunt, vel sunt instituta
solum ad Sanctos publicè propositos venerandos Lege
Barbosa in coll. ad Trid. sess. 25. de invocac. Sanctorum,
vers. Vllam solitam exponere, & Lezanam v. Sanctorum
cultum, n. 6.

12. Dixi autem (defuncti viri) nam adorare virum,
quem sanctum reputas dum vivit, non licet, nisi ex pe-
culiari Spiritus sancti instinctu, juxta illud: *Neminem
in via salvaveritis*: ejus orationes coram, vel per litte-
ras implorare, seu petere, quo liceat, non est dubium,
quia hæc non est oratio, sed commendatio: solum
quæri posset, an liceat me commendare homini, quem
reputo Sanctum, dum vivit & absens est? Sanè leguntur
aliqui etiam multum distantes se sancto Antonio,
cum divina approbatione commendasse. Id quod innuit
se facti est.

11. Quid, & quomplex sit Oratio, de quæ ejus præcepto.

1. Oratio propriè est petitio, quæ ad Deum, vel ad
alium propter ipsum dirigitur, quæ petimus res
seu bona nobis decencia: ita S. Thom. 2. 2. quæst. 83. ibid.
Commentar. Dixi (propriè) quia largè significat quam-
cunque elevationem mentis ad Deum per laudem, in-
vocationem, confessionem peccatorum gratiarum actio-
nem, &c.

2. Ex parte ejus, qui orat, alia oratio est publica, alia
privata. Ex parte ipsius actus orationis, alia est vocalis,
alia mentalis.

3. Duplex est præceptum de orando, idemque est de
adorando Deum. Alterum naturale, quia præcise quo-
cunque Ecclesiæ præcepto, tenemur bona, quæ nobis
sunt convenientia procurare, & mala removere, remo-
vere autem tentationes, multaque alia mala, & procurare
bona maxime supernaturalia, & præsertim perseverantiam
in bono, non possumus, nisi ea expectando, & im-
petrando à Deo. Hoc naturale præceptum confirmatum
fuit à præcepto Dei positivo *Deuter. 6. ibi: Dominum
Deum tuum adorabis*, & ibi: *Oportet semper orare*, &c. &
alibi. Alterum præceptum est Ecclesiasticum, quo obli-
gamur assistere sacro diebus festis; tunc enim omnes
circumstantes unà cum Sacerdote offerunt Deo sacrifici-
um, illūque adorant, & orant per orationes, adora-
tionisque ab eodem Sacerdote exhibitas.

G 2

4. At

4. At quandonam obligat prædictum naturale præceptum orandi, vel adorandi? Doctores modò citati varia tempora assignare conantur. Ego hic sentio, quòd *suprà*, cap. 1. §. 1. à num. 8. dixi de præcepto Fidei, Spei, & Charitatis; non dari scilicet certum tempus, & de terminatum, in quo directè obligat, sed esse illud, in quo obligat indirectè; quando, scilicet, urget necessitas aliqujus boni acquirendi, vel mali, scilicet tentationis avertepda, quæ acquirere; vel avertere sine Dei auxilio nos non posse, tunc animadvertimus. Unde *ibidem* dicta, quæ hic maxime faciunt: unde sequitur omittentem eo tempore orare: verbi gratia, tempore tentationis gravis contra castitatem, non peccat nisi contra castitatem, quia solum ex periculo violandi castitatem culpabilis est talis orationis omisso. Ita Lessius *lib. 2. cap. 37. d. 3. sive* apud Castro Palaum loco citato, n. 6. Verum tamen sentiremus directè hoc præceptum obligare, non est nobis in eo explicando diu immorandum, cum illud facile ab omnibus impleatur, quis enim tam perditus ut aliquando *Pater & Ave* non recitet, vel alio modo auxilium à Deo implorat?

5. Dixi paulò antè (præceptum naturale) nam ab Ecclesia pro omnibus Fidelibus esse determinatum tempus orandi medio Sacerdote in Missa audienda die festivo diximus n. 3. & pro ministris in recitatione divini Officii dicemus §. sequenti.

6. Quæ à Deo petere in Oratione debemus explicantur, & divine comprehenduntur in oratione Dominicali, *Pater noster*, &c. Primum autem: Primum, nostra Oratione sit meritotia, satisfactoria, & magis propriè impetratoria. Secundò, utrum solum Sancti, & Angeli nunc pro nobis orent in celo, an etiam possit in rigore dici Christus Dominus, ut homo est, pro nobis orare. Tertiò, an etiam animæ Purgatorij? quia non sunt quæstiones morales, lege Doctores citatos: & breviter dic; ad primum, & secundum affirmativè, ad tertium, negativè quidem cum Sancto Thoma *secunda secunda, quæst. 83. artic. 15.* Castro Pal. *tomo 2. tract. 7. de orat. parte 5. num. 1.* & aliis, quia illæ animæ non sunt in eo statu, ut possint cognoscere preces, & desideria nostrà; cum nondum videant Deum, in quo tanquam in speculo ea, quæ longè distant cognoscuntur à Beatis: ita S. Thom. *secunda secunda, quæ 83. artic. 11. ad 4. alique ibidem.* Affirmativè autem dic cum Bellarmino *lib. 2. de purgat. cap. 15.* Suarez loco citato, *cap. 15. n. 16.* aliisque; quia possunt in genere orare pro iis, qui vel sibi faciunt, vel ipsorum Orationes implorant; immò Angelos custodes iis nostras particulares Orationes deferre, vel alio modo eas Deum illis ostendere, cur improbabile sit?

De intentione, & attentione in orando.

7. Nisi intendas orare, licet orationem ore fundas, vel mente obvolvas, Orationem Deo non porrigis. Satis tamen est voluntas implicita, seu virtualis: Quare si Breviarium legas, vbi gratia, ut studeas, non oras: si Breviarium legas cum intentione orandi, etiam si ab illa intentione actuali cesses, adhuc oras, quia remanet voluntas orandi nondum retractata, in ipso affectu, quo Breviarium legis.

8. Requiritur item attentio sive interna, sive externa, quæ triplex est ex S. Thoma, 2. 2. q. 83. art. 13. ad verba, ad sensum verborum, ad Deum.

9. Cum nulla attentione voluntariè orare, an sit mortale dixi satis *Opuscul. de Sacrament. lib. 5. cap. 5. & infra, capite sequenti. §. repetam.* Saltem autem esse veniale: omnes supponimus, quia irreverentia tandem aliqua est, cum Deo loqui aliò mentem voluntariè divertendo.

CAP. V.

De peccati Cultu, qui Deo per Horas Canonicis exhibetur.

1. **H**ora Canonica, seu Officium divinum sic definitur à Bellarmino *lib. 1. de bonis operibus c. 10.* Est certa oratio publice laudandi Deum, & predicandæ mente simul & voce, auctoritate præsumpta Ecclesia instituta. De hac ergo potest primò quæri, quinam ad ipsam teneantur. Secundò, quid est illud quod est recitandum. Tertiò, quo modo. Quartò, quo tempore. Quinto, quo loco, & situ. Sextò, sub qua conscientie obligatione, & sub quibus externis penis Octavo, quæ causæ excusent, Separatim, si Deo placet, de singulis.

§. 1. Qui teneantur ad Horas Canonicas.

2. **R**es hi sunt: Clerici constituti in sacris: Regulares deputati ad Chorum: Beneficij; nam Clerici in minoribus, si non habeant beneficium, non teneri, certa est & communis doctrina.

Constituti in Sacris.

3. Sacerdotes obligari ad has recitandas docet c. *Presbyter, de celebr. Missarum* Diaconos docet c. *ult. d. 92. De Subdiacono nullus est textus, ut habet Navar. c. 7. de orat. n. 2. sed est consuetudo vim habens legis, ut docent communiter Doctores.*

4. Ordinati in sacris, qui ex concessione Pontificis post suos ordines uxorem duxerunt. Rursus Latini, qui ducta prius uxore suscepere (certè cum peccato) eodem sacros Ordines, & postea coguntur ut cogi debent, ad uxorem redire; Tertiò, qui sunt damnati ad Tririmes Quartò, qui ab infidelibus capti, iisque captivi inferviunt: Hi, inquam, omnes licet probabiliter, ex Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 5. q. 5. & 6.* aliisque, obligentur ad Horas recitandas, si aliqua excusationem (de qua *re infra*), non habent; tamen his item probabile est eximi ab hoc onere. Quoad captivos, & damnatos, Sotus, Sanchez. Less. apud Dian. *part. 1. r. 2. res. 40.* ducentes uxorem Sanchez *lib. 8. de matr. d. 8. n. 11.* Ratio est, quia sunt in statu ab hac obligatione alienor nec immeritò videtur usus ipse sic explicuisse. Et quoad damnatos, & captivos sanè aliquid esset ab Ecclesie benignitate, & decoro, si eos in tanta afflictione positos, & inter illam hominum collisionem ad officium adstringere. Sacerdotem uxorem ex dispensatione Summi Pontificis Sanchez *ibid.* merito liberat ab officio, non quidem à die dispensationis concessæ, sed à die usus concessæ dispensationis. Squillante de obligat. cleric. p. p. n. 33. & rursus de privil. Cler. c. 7. n. 39. putat, hunc dispensatum deobligari ab Officio recitando, nisi post contractum matrimonium, Sanchez verò *loc. cit.* ait, deobligari ante contractum matrimonium, sed dimisso jam habitu, quia tunc videtur dispensatione, quod mihi videtur probabilius, quia tunc assumit alium statum. Excommunicatum, suspensum, interdictum esse obligatum fateamur ferè omnes, quia nec debet commodum reportare ex suo delicto nec est in statu alieno à recitatione. Ita Navar. *dist. c. 7. n. 17.* Sylvest. v. *Horæ* q. 9. & communiter.

De inclusis in carcere distinguere oportet. Privatos enim carceres non excusare à recitandis Horis certum sit, quia ibi nulla militat excusationis ratio. Publicos, excusare alicui videbitur, propter illum miserum statum valde similem tunc iis. Verum excusare non audeo propter otium magnum, quo ibi abundant inclusi, & vbi se faciliè recolligere, ad orandum Deum, possunt.

5. Degradatus propter eandem rationem cum excommunicato, videtur obligandus: ita communiter apud Castro Pal. *tomo 2. tr. 7. d. 2. p. 6. n. 3.* sed certè est probabile,